


5+6/2001

IDIBVS DECEMBRIBVS

MMI



TOMVS 24

FASC. 141

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA,
in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est,
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annum):

In Helvetia CHF 27.-

In ceteris Europæ terris CHF 32.-

In terris trans maria sitis US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus
publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Gasser Graphische
Unternehmung AG, Rapperswil

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum
editoriam: RVMOR VARIVS,
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA
HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC heraus-
gegeben. RV est publié par la SOCIETATE LATINA
HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6
fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement
(jährlich/annual)

Schweiz/Suisse CHF 27.-

Europa/Europe CHF 32.-

Uebersee/outré-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/Impression: Gasser Graphische
Unternehmung AG, Rapperswil

Expedition/expédition:

Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0



PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!


Tandem huius anni ultimum fasciculum RUMORIS VARII accipitis. Praeter alia multa et varia, quae in hoc libello invenietis, vobis hanc parvam narrationem ad sollemnia natalicia aptam propono, quam in Latinum verti. Composita est a Laurentio Pauli (Lorenz Pauli), scriptore Helveticō. De sollemnibus nataliciis apud glires (glis, gliris: Siebenschläfer) agitur.

Mense Octobri exeunte glis mater dixit tempus ad soporem hibernum incipiendum adesse. «Ita est», glis pater murmuravit. Sed glis pullus caput concutiens exclamavit: «Non, non, non! Hoc anno sollemnia natalicia agere volo! Non dormiam, vigilabo!» Parentes capita concutientes: «Id fieri non potest, carissime», aiunt, «hieme nobis dormiendum est.» – «Sed nolo, nolo, nolo dormire!» parvulus glis contumaciter restitit. Mater et pater altera alterum spectabant et denique suspirantes dixerunt: «Bene, si utique cupis, tibi licet vigilare.» Parvulus glis vultu laetissimo: «Optime! Sed vos quoque vigilare oportet!» Parentes capita concutientes: «Id fieri non potest, consueti sumus hieme dormire.» – «Ergo vos consuetudinem mutare oportet!» parvulus glis contumaciter dixit. Mater et pater altera alterum spectabant. «Bene», suspiraverunt, «si utique necesse est, nos quoque vigilamus.» Parvulus glis vultu laetissimo: «Optime! Multumne temporis deest usque ad sollemnia natalicia?» Glis pater respondit: «Multum, multum temporis, mi carissime.» Parvulus glis vultum mutavit: «Sed nolo tam diu exspectare. Opto sollemnia natalicia mox adsint!» Parentes capita concutientes: «Id fieri non potest, carissime. Sollemnia natalicia non ante diem 24^{um} vel 25^{um} mensis Decembris aguntur.» - «Sed volo, volo, volo nunc sollemnia natalicia agere!!!» parvulus glis contumaciter clamavit. Mater et pater altera alterum spectabant: «Bene. Ita postea quidem quiete dormire poterimus. Ergo nunc sollemnia natalicia agimus.» Parvulus glis vultu laetissimo: «Optime! Sed nix deest. Somnio de sollemnia natalicia nivea!» Glis mater caput concussit: «Si mense Octobri sollemnia natalicia agimus, id sine nive fieri oportet, carissime.» - «Sed nive mihi opus est meis sollemnibus nataliciis! Utique!» Mater et pater altera alterum spectabant: «Omnibus

viribus nitemur» glis pater dentibus compressis murmuravit, in domum hominum iit et multas plumas candidas e cervicali captas secum ferens rediit. «Ecce!» inquit, «hae sunt nives. Assentirisne, carissime?» Parvulus glis vultu laetissimo: «Optime! Nunc nihil nisi dona desunt...» Glis mater paululo fatigata: «Scilicet, carissime. Recte dicis. Id sollemnia natalicia decet. Licet tibi exoptare aliquid, sed nihil magni. Assentirisne?» Parvulus glis consensit: «Opto mihi aliquid parvi tantum, aliquid minimi. Exopto fraterculum vel sororculam, vel melius utrumque.» Mater et pater altera alterum subridentes specabant: «Id scilicet non illico fieri potest, carissime. Sed tibi promittimus donum natalicium nos operam daturos, ut fraterculos et sororulas accipias, cum ver advenerit.» Parvulus glis vultu laetissimo: «Bene. Nunc equidem donum habeo pro vobis. Sed necesse est vos oculos claudere.» Mater paterque oculos clauerunt. Parvulus glis ambos amplexus est et eis magnum et calidum basium dedit. Tum subrisit: «Nonne id pulcherrimum donum natalicium est?» Omnes tres glires se spectabant: Re vera, tale basium pulcherrimum donum natalicium erat.

Sit vobis annus novus felix faustus fortunatusque!

Valete! Daniel Weissmann



De primo autocinetoo

Haud ignoratis virum illum nominis Gottfried Daimler primum motrum benzino impulsum construxisse. Tum inventor nominis Carolus Benz autocinetum primum fabricare potuit. Hoc modo societas Daimler-Benz nominata condita est.

Carolus Benz ipse de primo vehiculo suo narravit: «Bucinae clangor auditur et autocinetum meum lente appropinquat. Multi homines cupidi visendi in via subsistunt. Tum autem fugae se mandant, nam vehiculum sine equis motum eis terrorem infert. Ecce autocinetum subito consistit. Quid accidit? Benzini fistulae obstructa est. Aliqua acus ad damnum corrigendum utilis est. Vehiculum iterum loco movetur. Centum vel quingenta metra facere potest. Iterum consistit. Homines in unum locum conveniunt, subrident, rem in risum vertunt. Unus eorum: «Est ludus», inquit, «qui magno constat.» Alter: «Homo iste insanus est, rem in summum periculum dederit. Mox diruptus dirutusque erit.»

Haec erat vulgi opinio... Benz autem iure operi suo confidit. Autocinetum brevi tempore sine auxilio hominum impellentium et sine equis bobusque trahentibus procedere poterat.

secundum Carolum Benz
Barbara Maier


Benz et custodes publicae securitatis

Benz autocineta prima construens nonnumquam custodibus publicae securitatis magnae molestiae erat. Cum nonnullae gallinae autocinetu territae fugae se darent, vehiculum diaboli via prohibebatur.

Custodes ante officinae portam excubantes autocineta exitu impediebant. Velocitas maxima risibilis erat. Intra oppidum autocinetis velocitate sex chilometrorum, extra autem duodecim chilometrorum procedendum erat. Tum Benz ad dolum configuit. Custodes benigne ad cursum invitavit. Qui primo vehiculo lente procedente delectabantur. Cum autem homo quidam multa transportans autocinetum cursu praeterire vellet, unus custodum exclamavit: «Pro Iuppiter, celerius nobis vehendum est!» Tum Benz: «Non possumus, nam lege tenemur.» Custos: «Nonnumquam necessarium est legem verti.»

Barbara Maier

Daimler et publicae securitatis curator



Quodam die curator aliqui inventoris officinam intravit. «Narrant», inquit, «te noctu portis fenestrisque clausis laborare.» Daimler: «Recte dicis, domine, nam multae res conspectu hominum se auferunt.» Curator: «Res eae quidem secreto confeciae mihi inspicienda sunt.» Daimler homini officinam totam monstrat. Curator operaे non parcens omnia instrumenta inspicit. Rebus visis autem contentus esse non videtur. Daimler: «Quid tu quaeris, optime? Fortiter id est?» et motrum movere incipit. Officina subito magno strepitu impletur. Curator perterritus toto pectore contremescit celerrimeque officinam relinquit. Daimler ridens: «Eamne rem quaesisti, domine?» Curator semper trepidans: «Minime», inquit, «sed collegae mei putant te noctu monetam adulterinam exercere.»

Barbara Maier



Facete lepideque dicta

De mulieribus et autocinetis

Mulier autoraedam pessimo statu et harmonicae diductili similem gubernans ad benzinariam stationem pervenit et interrogat, num quid refici possit. Benzinarius autem subridens: «Doleo, domina, licet nobis lavare, non autem ferro levigare!»

Hora meridiana media in urbe magna vehiculorum frequentia maxima est. Mulier iuvenis autocinetum gubernans ad semaphorum rubro lumine subsistat. Lumen semaphori in viride mutatum est. Mulier autem motorum incitare non potest. Iterum conatur, sed ei non contingit. Interdum post eam concentus bucinarum ululantium in strepitum aures obtundentem crescit.

Tum custos publicus, qui praeterit, ad illam: «Res viridior nobis non est, optima Domina!»



Scoticus cum uxore, quae gubernat, autoraedo vehitur. Via praeceps est, et subito frena non operantur. Scoticus vir ad uxorem suam: «Cura, ut tantum res parvi pretii percutias!»

Puella autoraedam gubernans horticultores summis in arboris nitentes adspicit. Tum ad amicam iuxta sedens: «Stultissimi! Iterum duo illorum virorum, qui credunt feminam ad autocineti gubernationem aptam non esse.»



Duae mulieres autoraeda velocitate 120 chiliometrorum horalium in oppidum vehuntur. Custos publicus eas inhibet et: «Ibi velocitas maxima 60 chiliometrorum horalium permissa est», inquit, «vos autem velocitate 120 chiliometrorum horalium vectae estis.» - Tum mulier: «Bene videoas, domine custos: duae sumus!»


Sophia diploma suum gubernationis inaugurate cupit. Media in strata autocinetica subito vehiculum suum consistit. Tum illa ad custodem publicum appropinquantem: «Ad quadrivium semper semaphorum est, quo colore rubro vel flavo vel viridi monstratur, num provehi liceat vel subsistendum sit. Attamen, cum semaphorum non est, signa attendenda sunt velut signum attentionis vel subsistendi aut praecedendi. Hic neque semaphorum neque signum video. Quid faciam?» «Nempe nullum est quadrivium», custos publicus respondit.

Custos publicus autoraedariam quadrivium supervectam, cum semaphorum lumen rubrum monstravisset, inhibuit, quominus porro veheretur, et interrogavit: «Nonne animadvertisisti lumen rubricoloratum splendere? Chartam ravo colore¹, quaeso...» Domina: «Plane deliras, optime vir, charta colore ravo cum mea veste caerulea!»

Mulier una cum amica per Graeciam iter facit. Ante ruinas templi antiqui imaginem photographicam imprimere cupit. Subito exclamavit: «Hercle, autocinetum in hoc photographemate videtur!» Amica: «Et, quid ergo?» - «Maritus, si hoc photographema viderit, statim putabit me has columnas autocinetu deiecissem!»

Mulier in schola gubernandi ad praceptorum: «Non necesse est mihi monstrare quomodo autoraeda retro vehi possit; nunquam recedo!»

Mathilda autocinetum gubernans ad custodem publicum: «Dic mihi, quaeso, si proximo compito sinistrorum flecto, quomodo in viam dextrorum sitam perveniam, ubi amicae me exspectant?» Ille respondit: «Nihil est, quod inquieteris, Domina; terra rotunda est!»



Petrus parvulus a matre in autocineto vehitur. Silent late loca. Tum puer: «Dic mihi, quaeso, ubi sunt pessimi autoraedarii? Mater: «Tantum patre gubernante exeunt.»

Silvia post primam lectionem gubernandi domum revertit.

Mater: «Eveneruntne omnia bene prima lectione?»

Tum illa: «Optime. Praeceptor est iuvenis maxime pius. Semper, cum conata sum id facere, quod iusserat, exclamavit:

«Deus nobis adsit!»

Custos publicus mulierem autoraedam gubernantem sine cintura securitatis vituperat. De delicto notam scribit et ad eam porrigit. Mulier autem sereno animo: «Gratias tibi ago. Scriptum tuum postea domi legam; nempe sine perspicillis nihil video.»

Serena, quae nuper diploma gubernationis assecuta est, in Italia ferias agens una cum amica autoraeda vehitur. Via sinuosissima est. Tum amica pallida pavore ad Serenam: «Nonne putas te paululo nimis celeriter vehi? In omni curva oculos comprimo». Tum Serena: «Incredibile, tu quoque?»

Infortunata autoraedaria domum rediens accensivam clavem ad maritum porrigens: «Haec quidem intacta est.»

Estelle Gitta

1) ravus est color diplomatis gubernationis



Autocinetolatria

Stratae et aedificantur,
silvae licet pereant,
prasinam, irrideamus,
qui factionem sectitant,
veram et qui progressionem
populorum vetitant.

O occurrite, amici,
praebeo miraculum:
novum carrum adorate,
qui explebit stabulum.
Quo itinera pervectus
terror ero omnium.

Qui conabitur tunc esse
me in via citior,
hominem se esse cernet,
qui sit me inferior,
nam velocitate vincit
hodie superior.

Cedite, o sapientes,
abeat philosophus,
vade retro, Deo fide,
omnium nam optimus
nunc est, qui autocineto
suo est celerrimus.

Civi igitur sit iter
libero liberrimum:
perforentur montes omnes
vi et via specuum,
robur ut autocineti
saepta vincat Alpium.

Nam non potest esse liber,
qui non gubernaculi
gaudiis fruatur umquam
neque non tachometri.
Sunt traminibus utentes
nihil nisi servuli!


Casus dicere audetis
et pollutum aëra?
Risui num vobis sumus
pressi ut farcimina,
cum a nobis, ut quotannis,
petitur Italia

Ita sit! Autocinetum
tamen semper colimus,
nam est deus et amicus
nobis longe optimus,
quem, si umquam corruetur,
perdolenter flebimus.

Martin Meier


NON LAPIS ARTATUR MUSCO, QUI SAEPE ROTATUR

Verbis ad autocineti partes designandas recte positis unusquisque numerus litterae respondeat. Litteras in tabula inscribe et proverbium notissimum inveneris.



- | | | |
|----------------------------|------------------------|---------------|
| 1 luctio velocitatum | 6 Vitrum antiaerium | 11 Quadrum |
| 2 Rota subsidiaria | 7 Sedes posterior | 12 Luminare |
| 3 Receptaculum sarcinarium | 8 Pedale gasi | 13 Vitus |
| 4 Frenum pedale | 9 Contus tutorius | 14 Ploxenum |
| 5 Pedale iunctionis | 10 Canthus pneumaticus | 15 Emissarium |

1	2	3	2		4	1	5	2	6	4	7		8	9	2	3
	6	8	7	10	2	4	3		2	1	11	12	13	6	4	14
■								■								
	11	15	1	6	2	1	4	8	6	4	7		2	6	12	7
■												■				




Hoc in ludo litteris primis (A, B...) et ultimis (A', B'...) indicatis verba VIII in tabulis tibi perpendicularum (deorsum aut sursum) vel ad libram (sinistrorum aut dextrorum) — nunquam oblique — legenda sunt.

A	B	C	D	E	F	G	H
C O R M A T I S	L A U T E R S T	E V B I L A M U	V I T R O V T M	G S A C C U P A	Y R U F E S L B	R O M I N D E X	C H Y R M E A S
L A U T E R S T	E V B I L A M U	V I T R O V T M	G S A C C U P A	Y R U F E S L B	R O M I N D E X	E O V I S I V M	A I M E U P R U
E V B I L A M U	V I T R O V T M	G S A C C U P A	Y R U F E S L B	R O M I N D E X	E O V I S I V M	T R H E O R A I	T A E T R A I T
V I T R O V T M	G S A C C U P A	Y R U F E S L B	R O M I N D E X	E O V I S I V M	T R H E O R A I	C R H E O R A I	O M O D E R S A
G S A C C U P A	Y R U F E S L B	R O M I N D E X	E O V I S I V M	T R H E O R A I	C R H E O R A I	H E O R A I	R D E X B A U X
Y R U F E S L B	R O M I N D E X	E O V I S I V M	T R H E O R A I	H E O R A I	H E O R A I	I N Z N E T R I	I N Z N E T R I
R O M I N D E X	E O V I S I V M	T R H E O R A I	H E O R A I	I N Z N E T R I	I N Z N E T R I	N C I T A T R U	N C I T A T R U
E O V I S I V M	T R H E O R A I	C R H E O R A I	I N Z N E T R I	N C I T A T R U	I N Z N E T R I	A R N I S O L M	A R N I S O L M
T R H E O R A I	C R H E O R A I	H E O R A I	I N Z N E T R I	A R N I S O L M	I N Z N E T R I		

A' B' C' D' E' F' G' H'

Syllabis datis verba restituenda sunt



Estelle GITTA

Quid Latinitatis cultori cum autoraedario?

Duodeviginti annos natus, parum severo examine superato, diplomate autoraedae regendae sum donatus. Istiusmodi vero facultate numquam abusus sum, cum ineptus, ne dicam impeditus, in primis experimentis exstissem: ut unum saltem afferam exemplum, cum, machinamento motorio agitato, paululum retrocedere vellem, in crepidinem fortuito scandens viarium palum deieci.

Et meae igitur et aliorum incolumitati consulens, pedibus per urbem, ubi habito, deambulare constitui; quotienscumque vero Romam doctrinae augendae gratia peto, ferrata via satis commode utor.

Ceterum, nihil causae est cur de abdicatione illa querar: nam autocineta commeantia adeo crebrescunt ac multiplicantur, ut propheticam Tartarearum poenarum imaginem autoraedarium iter recte definias.

Huc accedit quod automataria vehicula modernae, quam abhorreo, aetatis symbolum mihi esse videntur, cum dilectae antiquitatis insignia equi sint et quadrigae et caligati pedes; id bene Philippus Thomas Marinetti notavit animadvertisque, futurismi praecho haud obscurus, qui vicesimo p.Chr.n. ineunte saeculo strepenter autoraedam Samothracenae illi Victoriae pugnaciter anteposuit: cuius vero opinionem, rationi omnino contrariam, vesanum hominem in dementium asylo constrin- gendum potius quam littaratum decere equidem arbitror.

Omnia demum argumenta sub Latinitatis, ut ita dicam, vel Graecitatis specie considerare consuevi: haud raro igitur fit ut quid antiqui scriptores facturi vel cogitaturi fuerint otiosus mediter, si hodierna technicae artis inventa ante tempus cognovissent.

Thespis e.g., quem 'plaustris vexisse poemata' Horatius perhibet (*Ars poetica* 275-276), quanto latius ac remotius peragrare potuit, si velocius vehiculum liquore propulsorio movendum ei praesto fuisset! Fortasse tragica Camena non tantum intra Atticorum fines, verum et apud Boeotios, et apud Thessalos, et apud Scythas exulta profecisset!

Quid de Anacreonte porro dicamus? Infensissimo Teius vates odio Artemonem quandam persecutus (frag. 82 Gentili), qui, cum ex parvo, vel potius de nihilo, praeter spem crevisset, molli quoquoversus lectica ferretur: quid futurum fuisse opinemur, si gestatoriae sellae loco autoraedam novissime fabricatam spurcatissimus iste libertus superbe ostentavisset? Non flava modo Eurypyle, sed complures aliae quoque femellae, illecebrosa novitate corruptae, ab Anacreonte ad locupletatum

aemulum nulla mordente conscientia defecissent.

Nec Delia sane atque Nemesis, puellae illae a Tibullo tenere adamatae, qua aviditate erant ac levitate, autoraedarii temptantis adulaciones probiter reieccissent; nihil decepto igitur reliquum poetae fuisset, nisi ut diras in illum exsecrations funderet, qui horrenda primus autocineta protulisset.

Ovidius autem in 'Artis amatoriae' libro primo muliercularum adsectatoribus procul dubio suasisset, ut pretiosissimae insidentes autoraedae in praestituae concupitaeque praedae conspectum venirent; idem vero in tertia poematis illius parte puellas admonuisset ut, miserrimis contemptim, peditibus neglectis, unis autocinetorum singulariter constructorum possessoribus aures benevolae paeberent.

Vitruvius toto de pectore gavisus esset, quod difficilioris machinamenti describendi sibi opportunitas adfulsisset: quam vero ei denegatam esse occasionem nos, qui Latinas pro munere scriptiones interpretamur, universi fere collaetamur.

Seneca, ad extremam desperationem adductus, canos sibi laceravisset capillos, quod diurnis nocturnisque Neronis alumni excursionibus validius periculosiusque suppeditatum esset instrumentum; de novo autem ipso invento philosophice interrogatus, indifferens (Graece αδιαφορον) sapienti illud esse sententiali tenore respondisset, ast sumptuosissimam autoraedam a probabiliore societate fabricatoria confectam praesenti sibi pecunia emisset.

Quid denique facturi fuerunt veteres illi Christicolae apogiarum et protrepticorum scriptores? Alii quidem, superstitione pavore perculti, tamquam Diaboli inventum novum instrumentum abominati essent; alii autem, Pauliano exemplo ad civiliorem cultum informati, maximas Deo gratias egissent, quod celeriore atque efficaciore evangelii propagandi ratione tandem uti liceret.

Orestes Carbonero



Num tibi umquam occurrit

- si cibum in frigidario habes et vestimenta geris et in tuo proprio lectulo dormire potes, te locupletiorem esse septuaginta quinque centesimalis hominum in orbe terrae viventium,
- si «non deficiente crumena» (Hor. Epist. 1, 4, 11) interdum in sede argentaria pecuniam deponere potes, te octo locupletissimis centesimalis hominum in orbe terrae viventium adnumerandum esse,
- si hodie mane e somno experrectus potius bene quam male te habebas, magis fortunatum te esse decies centenis milibus hominum, qui huic septimanae non supervivent,
- si numquam tibi opus fuit timere, ne fuga prohibitus bellum inter se gerentium telis obruereris, si numquam accidit, ut innoxius in carceris solitudinem includereris aut crudelissime cruciareris, si numquam fame prope peristi, meliorem tibi sortem contigisse quam quingentis milibus hominum in orbe terrae viventium,
- si nullo obsidente ac sine metu, ne vita aut libertate priveris, ecclesiam ingredi et sacris adesse potes, magis fortunatum te esse tribus miliardis aliorum hominum,
- si parentes tui usque matrimonio coniuncti vivunt, profecto rarissimis hominibus te adnumerandum esse,
- si erectus procedis et vultu benigno veram te gratiam habere ostendis, singularem te hominem esse; nam permulti, cum possint, ita se gerere neglegunt,
- si cui dextram porrigendo gaudium afferre, si quem amplexu confirmare non dubitas, eis paucis te adnumerandum esse, qui non suae tantum, sed alterius quoque saluti consulunt,
- si, quae supra scripta sunt, perlegere scis, te fortunae muneribus abundare; nam duo miliardi hominum in orbe terrae viventium litteras nesciunt.

Has sententias in periodicorum, quibus titulus est *Veteraniopettaja* (Praeceptor Veteranus), fasciculo 3/2001 (p. 32) editas e Finnico in Latinum convertit

Ericus Palmén.

Certamen pulchritudinis mundanum

Olim Paridi, Priami Troiae regis filio, ex tribus deabus pulcherrimam elegendam fuisse tradunt. Nostra autem aetate quotannis certamine illi mulieri, quae iudicibus pulcherrima et venustissima videtur, titulus 'Domina mundi' ('Miss World') tribuitur. Praemium quidem non malum – ut Venus a Paride – , sed coronam accipit...

Hoc anno primum virginis Africæ nigrae hic titulus attributus est. In Africa Australi, ubi certamen habitum est, Agbani Darego ex Nigeria, 18 annos nata, pulcherrima iudicata est. Disciplinae informaticae studet. Secundum gradum Zerelda Lee ex Aruba (quaedam insula parvarum Antillarum), tertium Juliet-Jane Horne ex Scotia nactae sunt.

Daniel Weissmann




Salsedo *

In scopuli vepribus scintillat fulgor adultae
aestatis, sol est fortis, solem aequora gaudent
vi, qua sunt, haurire, silens haec vivere laetor,
dum vibrat acris halos maris et mihi corpus inurit
ignitis sabulis: salsedo appellit amare
prae labiis, tero eam, laticum symplegma, carinas
iam fluctus radiant, ubi spumam caerulea tollunt,
ceu frigus pluviae, foliis cum defluit, axis
musicam habet modo puram, agilem, modo lambit arenas,
alcyoni similis, quem nunc vix cerno, quod ille
punctum animat minimum, procul est, reor esse figuram
fatalem. Fruor hic radiis, hic somnia fingo,
lucis amator, alit gratum cutis ipsa calorem
vel pellit curas, quae cor mihi nempe frequentant
mensibus in reliquis, aqua fit rosa, surgit ab imis
algis, mi prope adest, me totum tendit ad aurum,
haud secus ora lari, qui flores nescit adire
excelsi cacti: lactis mare palpitat undis
et cirris dat mobilibus vaga flabra vaporis,
ut nihil aestus sit, nisi quod mihi sponte susurrat...

Maurus Pisini

* Hoc carmen, post ferias, aestivo huius anni (MMI) tempore, in non-nullis Graeciae insulis peractas, tamquam gratum eorum locorum, quae inviseram, mnemosynum, summo studio composui.



AENIGMA

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **IDIBUS IULII** EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT:

Primum praemium

LIBER

Secundum et tertium praemium

LIBELLVS

1. servi vel adiutores
2. adiuvas
3. animi
4. herba urens vel libido
5. profanae vel non ecclesiasticae
6. incolae insulae maris Adriatici
ante oram Dalmaticam sitae

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

Daniel Weissmann

Facete lepideque dicta

Navales exercitationes

Undis radiophonicis colloquium ad navem administrandam auditur hoc:

-Si concursum vitare cupis, declina a via tua ad septentrionem

-Tu a via tua ad meridiem declina, ut ictum effugias


-Ego classis praefectus sum. Tuum est declinare a via

-Minime. Iterum dico: declina a via tua !

-Quem nuntium tibi e nave planigera «Clementia» nuncupata mitto:

declina a via tua illico !

-E pharo haec tibi nuntiavi. Nunc dic mihi, quaeo, quomodo is gubernandus sit; tum demum a via declinabo.



De venatione

«Inter omnia vero exercitia, quae praestantiae ac celebritatis laudem merentur, venatio facile primum occupat locum», ait Anastasius: cuius differentias varias ponit Plato in sophista. Nos autem hic tantum de illa differemus, quae affinitatem quandam habet et communionem cum vita rustica, et in qua feris ac bestiis persequendis capiendisque, insidiae struuntur. Ex qua consideratione elicetur, quod exercitu hoc maxime sit necessarium, utilissimum simul, ac iucundissimum.

Necessarium enim illud est, ad arcendas et e medio tollendas atrocissimas et crudelissimas istas feras, ut sunt leones, ursi, lupi, vulpes, ac aliae rapacissimae et nocentissimae id genus similes bestiae, quae non nisi noxam ac damnum hominibus inferunt.


Plane dissentiunt hodie homines quippe qui ursos, lupos vulpesque nesciant; inter homines vivunt adfirmantes hominem lupum esse homini.

Evidem, Alberti Camus instar, procedente tempore, hoc, nec quidquam aliud, intellexi eos ipsos qui ceteris humanitate praestarent hac aetate facere non posse quin neces aut ipsi inferrent aut saltem alios inferre paterentur propterea quod ita agentes suae vivendi rationi congruerent, omnesque nos in terris ne minimam quidem rem facere posse quin in periculum interficiendi vocaremur.


Itaque mihi placuit omnia repudiare per quae caedes eminus comminusque, iustis iniustisve causis, aut efficerentur aut comprobarentur.

Estelle GITTA

Facete lepideque dicta



- Utinam ne brachium frangam!
- Cur animum tam celeriter abidis?



- In extremis rebus certe non es,
dolores magni taci sunt..

Barbara Maier

MAIOR E LONGINQUO REVERENTIA

1	2	3	4	5	6		7	8		9	10		11
12	13					14			15				
16		17	18		19	20			21	22	23	24	25
26	27		28			29	30	31				32	33
34		35	36	37		38	39						40
41					42	43			44	45	46		
					47	48			49	50			
51	52		53	54	55				56				
57				58			59						60
61			62	63	64	65						66	67
68		69			70	71		72	73		74	75	76
77		78	79		80	81	82		83				
				84	85								86
87						88			89		90		
91	92		93		94		95			96			97

Si fatum est, quid times, quod certum est?
Areae numeris instructae tibi litteras ostendunt
ad sententiam infra restituendam

50	47	13	47	63	76	90	57	41	19	51	21	95	31	96	43	64
46	3	53	77	56	11	58	29	1	42	83	33	65	47	60	9	

Ad libram

- 1) Helenae coniux
- 2) Draco ingens, qui ante Apollinem ex oraculo in monte Parnasso responsa dare solitus erat.
- 12) Pater eius machinam satis simplicem alis duabus compositam creavit, ut evolare possent. Qui usus est cera, materia quam idoneam aestimabat, ut partes diversas iungeret. Sed hic, consiliis patris neglectis, tam prope solem appropinquavit, ut in mare caderet.

- 14) Cum infans esset, dracones duos duabus manibus necavit.
- 16) Apollo cum virginem persequeretur, illa a Terra praesidum petit, quae eam recepit in se et in arborem laurum commutavit.
- 20) Panis filius, collecteus Musarum in stellam Sagittarium relatus. Plausum instituit (voc.).
- 23) Quingenta quinquaginta
- 25) Pontificis maximi aedes (breviter)
- 26) Interiectio
- 27) Ut intellegat quae sit voluptas cum deo concubere petivit ab Iove, ut eodem modo ad se quomodo ad lunonem veniret et conflagravit.
- 30) Iuppiter in taurum conversus a Sidone Cretam eam transportavit (breviter).
- 31) Herculis prima uxor. Qui cum ad canem triplicem esset missus, Lycus Creontis filiam uxorem eius et filios interficere voluit.
- 34) Praenomina et Rosci et Amerini et Pompeii (breviter)
- 35) Iuppiter in cygnum conversus eam compressit.
- 38) Littera tristis
- 39) M. Antonii filia vel Endymionis amans
- 41) Cui ab Apolline erat responsum de filii sui manu mortem ut caveret. Itaque locasta uxor eius cum peperisset, iussit exponi.
- 42) Dracones baculo percussit; ob id in mulieris figuram conversus (breviter).
- 43) Cybeles sacerdos ad insaniam adictus
- 46) Dimidia pars dimidiae partis Centaurorum vel Minotauri
- 47) (retroversum) Primus rex Atlantium a Crono, filio suo, detrusus (gen.)
- 48) Dimidia pars eius, qui Graeis unus est
- 49) Leandri amans (prima et ultima littera)
- 50) Rex mythicus Laconiae vel Syracusius, Platonis amicus; dimidia quoque pars Liberi vel mater Veneris littera «E» addita
- 51) Iuvenis amore captus dum se in aqua mirabatur (breviter).
- 52) dono dedit (breviter)
- 53) Cum illo rationem habent omnes homines in fine.
- 56) Nucerinus heros. Quem ferunt olim praecipitatum in fontem fluminis Sarni, paulo post cum cornibus extitisse, ac statim non comparavisse in numeroque deorum habitum (abl.).
- 57) Cum Pylade noctu Clytaemnestram matrem et Aegisthum interficiunt.
- 59) Ulixis epitheton
- 60) Alcinoi regis filia vestem ad flumen lavans Ulixi naufragi auxilio fuit (breviter).
- 61) Prima est Midae filia; summa pellem auratam sustulit.
- 64) Minotaurum occidit
- 66) Aegyptia dea si repetita; si non: pronomen.
- 68) Calydonius rex, pater Deianirae
- 70) Interiectio
- 71) Littera Graeca
- 76) Media in aqua stat, semperque sitit. Etiam saxum super caput eius ingens pendet, quod semper timet ne super se ruat (gen.).
- 77) Sive compitalis aut vialis, sive permarius aut praestes deus; familiaris pro patre Servio Tullio est.
- 79) Post diluvium omne genus humanum interiit praeter Pyrrham et eum (breviter).
- 81) Praepositio retroversa
- 82) Andromedam liberavit.
- 84) (retroversum) Xuthi filius (abl.)
- 85) Petit aut urget redditum saxum
- 86) Iovis fulmine percussi dum Olympum montem ascendebant (breviter).
- 87) Martianus, Esquilinus vel Agrippae
- 88) Zephyri uxor quae hominibus mellem dedit.
- 90) Tempus anni quod Proserpina cum Cerere agit.
- 91) Cretaeus mons. Ibi natus est Iuppiter.
- 93) Martis et Asteropes Atlantis filiae filius habuit in coniugio Euareten Acrisia filiam, ex qua procreavit Hippodamiam (breviter).
- 95) (retroversum) Neptuni filius vel Dido littera «A» addita
- 96) Retroversa dimidia pars sororum, quae Erinnyes quoque appellatae
- 97) Retroversum pronomen (dat. pl.)
- Ad perpendiculum
- 1) A Libero petivit, ut, quidquid tetigisset, aurum fieret.
 - 2) emeritus (breviter) vel praepositio
 - 3) Nympha si bis repetita
 - 4) Spinosum animal
 - 5) Diana vel sidus noctium plenum si addis interiectio (cf. 4 ad libram)
 - 6) Nummulus
 - 7) Instat Mnestheus et ille, quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent, rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.

- 8) Hominibus monstravit quomodo cinere obrutum ignem servarent.
 9) Pronomen personale
 10) Titulus tragoeiae Ennianae (breviter: Priamus lovis iussu duce Mercurio in castra Danaorum venit et filii corpus auro repensum accepit, quem sepulturae tradidit.
 11) Pater Palamedis, qui cum Danai domum redirent, facem ardente eo loco extulit, quo saxa acuta et locus periculosissimus erat. Illi credentes humanitatis causa id factum naves eo duxerunt, quo facto plurimae earum confractae sunt (breviter).
 13) Apollo fecit, ut, cum vera vaticinaretur, fidem non haberet.
 15) (sursum) Canis femina Actaeonis (breviter ab initio)
 17) Medeae impulsu patrem suum occisum in aeneo coxerunt.
 18) heres (breviter)
 19) Pater Caenis vel Caeni, qui ex muliere vir factus, Centaurorum ictibus terrae infixus est (abl.).
 21) Filii Ulixis: et Circes filius et Penelopes filius (breviter ab initio)
 22) Dimidia pars nymphae, quacum rex Numa simulavit sibi congressus nocturnos esse.
 23) Sorores cados perforatos complent e quibus aqua semper manat.
 24) (sursum) Nemeaeum monstrum
 28) Mille
 29) (sursum) Tantum haec in fine loquendi ingeminat voces auditaque verba reportat.
 32) Romanus (breviter)
 33) (sursum) Longa, etiamsi vita brevis
 36) Vulturnum, ventos flantes ab oriente hiberno quibus mater est Eos
 37) (sursum) Praepositio
 38) Vulcani filius qui traxerat aversos Herculis boves in antra.
 40) Se obtulerat hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achivis.
 41) Psamathes Apollinisque filius a canibus voratus (abl.)
 44) Primam Iuppiter in vaccae figuram convertit, ne luno eam cognosceret; summa est Aeoli filia.
 45) Salutem dicit (breviter)
 54) (sursum) Contrarium urbis
 55) Filia Ponti et Terrae Phorco fratri nupta (nom.) vel nomen magni piscis et sideris (dat.)
 58) Titus (breviter)
 59) Nomen muliebris Graecum; si virile: filius Polymestoris et Ilionae, cui

- Hecuba Polydorum educandum dedit. Filius suus pro fratre educavit. Itaque Polymnestor filium suum occidit arbitrans se Polydorum filium Priami interfecisse.
 61) Illa animo pertinacior parentes suos ante se necari est perpessa; nempe Hercules cum Euryti filiam in coniugium petiisset, ille eum repudiasset, Oechaliam expugnavit.
 62) Inscius patrem suum occidit et matrem accepit uxorem (abl.).
 63) Centaurus ab Deianira rogatus, ut se flumen transferret; quam sublatam in flumine ipso violare voluit.
 65) Atlantis filius a leone caesus
 66) (sursum) Volvitur et se sequiturque fugitque (abl.).
 67) Bacchus eum educavit (breviter).
 69) Partum suum Latonae anteposuit superbiusque in Apollinem et Dianam locuta est (breviter).
 72) Secundum glossas, mollissimum animal vel sidus aut elegantia et iucunditas
 73) Littera salutaris
 74) Dimidia pars Nelei filii qui solus non a Hercule interfectus est
 75) Cuius sterlus bobile uno die purgavit Hercules (gen.).
 76) Iustitiae dea vel Anchisae mater (breviter)
 78) Urbs (deorsum); opus Cupidinis (sursum).
 80) Inter semel et ter
 83) Thracius rex a Diomede et Ulike interfectus (breviter)
 87) Filia Solis, quae potionē data homines in feras bestias commutabat. Ulysses remedium Mercurii monitu coniecit ensemque strinxit minatus, nisi socios sibi restitueret, se eam interfecturum (breviter).
 88) Flavius (breviter)
 89) Dea lactationis (breviter)
 90) Versus (breviter)
 92) (sursum) In imbrem aureum conversus cum ea concubuit Iuppiter.
 94) Quia Agamemnon in venando cervam Dianaē violavit, immolanda est sua filia (breviter).
 96) (sursum) Pastor qui Romulum Remumque invenit et educavit (gen.).
 97) (sursum) Quae cum non admitteretur ad deorum dearumque epulum, ab Ianua misit in medium malum, dicit, quae esset formosissima, attolleret.

Proverbia Hispanica

*Quien siembra espinas, abrojos coge.
Ille, qui spinas serit, carduos capit.*

*

*El hombre es el fuego, la mujer la estopa, viene el diablo y sopla.
Vir est ignis, mulier est stuppa, venit diabolus et inflat.*

*

*Oveja que bala, bocado pierde.
Ovis, quae balat, buccam perdit.*

*

*Ni todos los que estudian son letrados ni todos los que van a la guerra
soldados.*

*Neque omnes, qui student, litterati sunt, neque omnes, qui ad bellum
proficiscuntur, milites.*

*


*No con quien naces, sino con quien paces.
Non quocum nasceris, sed quocum pasceris.*

*

*Aunque la mona se vista de seda, mona se queda.
Etiamsi simia sericis vestitur, simia manet.*

*Gato con guantes no caza ratones.
Muriceps digitabulis vestita mures non venatur.*

*



*Quien de presto se determina, despacio se arrepiente.
Illum, qui cito decretum facit, diu paenitet.*

*

*El deseo hace hermoso lo feo.
Cupido foedum pulchrum facit.*

*

*Una golondrina no hace verano.
Hirundo non facit aestatem.*

*

*Piensan los enamorados que los otros tienen los ojos
quebrados.*

Amore capti putant ceteris oculos hebetes esse.

*

*La pobreza es escalera del infierno.
Egestas scalae infernorum sunt.*

*

*El lobo y la vulpeja todos son de una conseja.
Lupus et vulpes omnes ex una fabula sunt.*

*

*Asna con pollino, no va derecha al molino.
Asina cum pullo non recta via ad molas it.*



In Latinum vertit Daniel Weissmann

Quid lingua Latina in operibus nostrae aetatis musicis valeat

Altera pars: Ludovicus Dallapiccola

Sed haec hactenus! Puto tempus adesse, ut de illis melodiarum inventoribus plura dicam, qui hac in dissertatione maximum valeant. Itaque paucis verbis comprehendere conor, quid lingua Latina in operibus nostri saeculi arte musica exornatis prae ceteris linguis valuerit necnon valeat. Omitto autem talia velut *Missam*, *Requiem*, *Te Deum*, *Magnificat*, quorum textus iam pridem in re musica adhibebantur. Omitto praeterea opuscula textus Latinitatis profanae, sive antiquioris sive recentioris aevi, continentia, siquidem ea de causa confecta videntur, ut denique aliquando modis musicis exornarentur. E quibus lanum Novák excipio, qui non modo textus Latinos varios vel antiquiores vel recentiores arte musica, sed etiam artem musicam Latinitate quadam donavit, cum pedes textuum metricos etiam in mensuris sonorum severissime observaret; quo effecit, ut mensurarum adhuc quadratarum ut ita dicam vincula nimis arte constricta laxaret. Quamquam Ian Novák de lingua Latina in arte musica adhibenda optime meritus est, tamen de illis melodiarum compositoribus hic disserere malo, qui non modo hominibus Latinitati foventibus, sed etiam hominibus imprimis arte musica se delectantibus noti sint. Quorum nomino afferoque Ludovicum Dallapiccolam, Igorium Strawinsky, Christophorum Penderecki, Carolum Orff. Quorum quisque linguam Latinam cum arte musica coniungendo aliquid novum effecit.


Ac primum quidem Ludovicum Dallapiccolam in medio ponere volui; opus enim quoddam perfecit, quod tria carmina Latina captivorum multis hominibus notorum continet. Appellavit ergo melodiarum compositor ille celeberrimus opus suum «*Cantica Captivorum*». Qui multis testimoniis demonstravit a pueritia sibi iustitiam atque libertatem maxime cordi fuisse. Cuius opera arte musica exornata persaepe initium ceperunt e rebus et factis, quibus per vitam suam imo corde commotus, perturba-

batus, perterritus est. Unde et *Cantica Captivorum* orta sunt. At textus illorum cantorum, quamvis sit suo quisque tempore conscriptus, in universum spectant. Nam Ludovicus Dallapiccola, quod ad artem musicam pertinet, multa diversa coniunxit, velut cantilenas Gregorianas et series duodecim tonorum quas dicunt, quod ad textus pertinet, solum verba Latina adhibuit talium auctorum, qui post antiquitatem vixerunt, quod ad vim textus pertinet, trium auctorum carmina elegit, qui diversam indolem sive historicam, sive philosophicam, sive theologicam exhibent. At primum quidem Dallapiccola oratiunculam quandam Mariae Stuardae, reginae Scotorum, quam in libro Stefani Zweig, qui est de vita ac moribus Mariae Stuardae, invenerat, arte musica exornavit. Unde exorsus Dallapiccola alias textus brevissimos quaerebat captivorum notiorum, in quibus desperationis, quam Maria Stuarda exhibit in precibus suis, remedium quoddam inesset. Dallapiccolae igitur, cui a pueritia studia humana maxime placebant, statim venerunt in mentem versus illi, quibus carmen tertii de Boethii consolatione philosophiae libri duodecimum incipit. Quibus in versibus philosophus ille celeberrimus metum mortis ea consolatione fugat, quod vita beata constet in cognitione boni atque dissolutione vinculorum terrenorum et corporalium. Quae qui adeptus sit, vitam bonam vere bonum peregisse. Textum autem tertiae partis operis huius Dallapiccola, cum primum in animo habuisset ultima Socratis verba arte musica exornata reddere, quae quia Graece essent non apta repudiasset, denique ex «*Meditatione in psalmum IN TE DOMINE SPERAVI*» Hieronymi Savonarolae sumpsit aliquos versus, quorum vis verborum ad Mariae Stuardae oratiunculam facillime spectat, cum partim ad verba congruunt. Attamen sunt opposita, cum haec desperationi sit dedita, ille spei. Mirum in modum Dallapiccola his ex tribus textibus diversis continuum carmen conficit, quamquam suum cuique parti huius operis textum attribuit. Quo factum est, ut inter versus Christianos sint verba Boethii tamquam insita, quibus se philosophum Stoicum profitetur. Qua in parte versus Boethianos con-

tinente etiam ornatu musico utitur modulator melodiarum ille quodam, qui ab ornatu duarum partium Christianarum aliquantulum differt. Dallapiccola enim tales sonos invenit, in quibus modi antiqui a Gregorianis nondum sint distincti. Non modo cantilena, sed etiam voces puris intervallis consonantes antiquitatem quandam resonant. Cuius partis et initium et finis leviter fluit, quo modo verba Boethii denotantur, quibus dicit felicem esse, qui gravis terrae solvere vincula possit. Dallapiccola hoc in opere musicali modum duodecim tonorum quem dicunt adhibere voluit, cum quo sonos illos notissimos coniunxit, quibus hymnus horribilis incipit, qui est de Die irae, die illa, qua mundus iudicetur. Opus illud autem producendum ita curavit, ut vocibus humanis instrumenta quaedam manibus impellenda sive percutienda adderet. Cuius operis textum autem hic legere potes:

*O Domine Deus!
Speravi in Te.
O care mi Iesu!
Nunc libera me!
In dura catena,
In misera poena,
Desidero Te.
Languendo, gemendo
Et genuflectendo,
Adoro, imploro,
Ut liberes me.*

*Felix qui potuit boni
Fontem visere lucidum,
Felix qui potuit gravis
Terrae solvere vincula.*



*Pemat mundus, insurgant hostes, nihil timeo.
Quoniam in Te Domine speravi,
Quoniam Tu es spes mea,
Quoniam Tu altissimum posuisti refugium
tuum.*

Paucis nunc repetam, quale sit opus illud, quod *Cantica Captivorum* inscribitur. Dallapiccola tria carmina Latina perbrevia elegit, quorum duo sunt preces Christianae, unum consolatio philosophiae. Lingua autem Latina, quod est commune vinculum, carmina inter se coniunguntur verborum cum vi tum sono; quo fit ut verba Boethii facilime in preces Christianas inseri possint; tamen Dallapiccola sonis propriis illam partem a partibus circumgentibus manifeste distinxit. Nam aliter ac Strawinsky, Penderecki, Orff, de quibus plura postea dicam, Dallapiccola non descendit ad textus vernaculos Latine vertendos; qua re opus illi non erat, quia cum eruditione tum inventione carmina precatoria sibi convenientia invenire potuit. Cum carmen Boethii precibus Christianis circumdisset, versus consolationis sensim in preces mutavit. Tamen haec omnia non preces, sed cantica appellavit, quo fit ut et preces Christianae imprimis pro canticis tractentur. Quicumque igitur hoc opus musicum audiet, haud offendetur usu linguae Latinae. Immo vero verbis Latinis adductus textum preces quasdam esse putabit. Itaque Dallapiccola tales textus eligendo ex Latinitate profana et Christiana, ex Latinitate antiqua et hodierna Latinitatem unam fecit. Neque in animo habuit res suas quasi exoticas reddere vel in monumento quodam ponere; neque in animo habuit rebus suis vetustatem quasi amissam reddere, immo vero linguam musicae artis et linguam Latinam duo humani generis linguas esse demonstrare voluit.

Werner Schubert
Heidelbergensis

(Dissertationis pars tertia in proximo libello sequetur)



MAXIMA DEBETUR MULIERI REVERENTIA

(Carminis pars prima)

Carmen alternis puellarum et puerorum vocibus, cuius singulæ strophæ constant quattuor glyconii et uno pherecratio.

O mares, reverentia
nos mera veneramini,
pervium sit iter pedi,
lingua dicta fuget mala,
5 contumelia casset.

Digna, femina, laudibus
sint tibi favor et lepos,
dexterum latus atque honor,
tu ferum illecebris virum
10 excolis generosa.

Ara versicoloribus
lauta floribus enitet:
anulum digito serens
nupta nisa genu iugi
15 firma foedera iurat.

Clamat omine prospero
turba, plauditur undique,
ante templa sonat forum
iamque multiplici croco
20 compares celebrantur.



Grex ovat strepitu vovens;
Marcus excitus accolis
impetuque gracillimam
ter quaterque solo levans
25 donat oscula fausta.

Alba coniuge nititur,
vincia dulcia copulat.
Risus ore micat pudens,
passa caesaries cadit
30 flammeo fluitante.

Cumque dedebeat nurum
sponte ferre pedem ad torum,
virginem auspicio bono
ponit in thalamum salax

35 nuptus impatienter.

Hora longa venit ioci,
ura dicit amantibus
arma blanda Venus docens;
ignis additur ignibus,
40 lectus aestuat amplus.

Fixa tempora transeunt
iamque progenie domus
dives, en genetrix sinu
parvolum fovet ac lubens
45 promit ubera laeta.

Cui puerpera diligens
lallat et vice consona
incunabula commovet;
pupulas tegit hic nigras
50 porrigitque labellum.



Bellus ancipiti pede
ambulat sed eget manu;
mamma laetitia amplius
gestit et renovat vigil

55 voce carmina parva.

Saeculi rota volvitur
sive flumine perpeti
sive mobilior trocho;
nunc ruens violas parit,
60 rura nunc nive condit.

Ver supervenit usque ver,
post adultus et integris
fortis artibus eminens,
sedulam genitus sibi
65 admovet genetricem.

Filiae modo eam tenet,
dulce neniolam canit;
leniter cubito morans
summa gaudia percipit
70 mater aemula pupae.

Pulchra tempus edax quatit,
quod fuit nitidum decus
mutat et terit ingravans;
marmor artifice inclutum
75 fit scabrosa figura.



Tardo anus titubans
it gradu nec adest vigor;
ruga frontem arat et genas,
pauperes oculi tremunt,
80 debilis sonus exit.

Qua cupidine filius
rite pectore comprimit!
Quo favore recondito
haesitans memorat parens
85 prima tempora vitae!

Erigens aviam nepos
amplexu occupat unico
et pater subolem adlevat
germanusque sororculam
90 atque amator amatam.

Flora languidulo indice
melle dulcior adnuit
si puer placidissimam
brachiis refoventibus
95 gestat et iugat artam.

Sicut unda levem scapham
temperat tremulum ad modum,
sic lacertus eburneus
consortem assiduo levat
100 deicitque tenore.

Florindus di Monaco
Italicus Capuanus

Ita rem se habuisse


Sub Maximiano, qui Romanae reipublicae cum Diocletiano collega imperium tenuit, per diversas sfere provincias laniati, aut interfecti sunt martyrum populi. Idem namque Maximianus, sicut avaritia, libidine, crudelitate, caeterisque vitiis obsessus furebat: ita etiam gentilium ritibus deditus, et erga Deum Coeli profanus, impietatem suam ad extingendum christianitatis nomen armaverat. Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque milium turmis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiabantur: ac velut vacatione barbaris gentibus data, prorsus in religionem arma commoverat.



ERRATA

In Rumoris	in pagina	falso impres-	Forma recta imprimi
Varii fasciculo		sum est	debut
3/2001	61, l. 7	At nullis hodie	At nullis hodie
		vim istam liquet	vim istam liquet
		poetis:	esse poetis:


Erat eodem tempore in exercitu legio miltum, qui Thebaei appellabantur: legio autem vocatur, quae tunc sex milia sescentos viros in armis habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant: viri in rebus bellicis strenui et virtute nobiles, sed nobiliores fide; erga imperatorem fortitudine, erga christum devotione certabant. Evangelici praecepti etiam sub armis non immemores, reddabant quae Dei erant, Deo, et quae Caesaris, Caesari restituebant.




Taque cum hi sicut et caeteri miltum ad pertrahendam christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt, atque eiusmodi praeceptis se obtemperaturos negant. Maximianus non longe aberat, nam se circa Octodurum Martigny itinere fessus tenebat: ubi cum ei per nuntios delatum esset, legionem hanc adversus mandata regia rebellem in Acaunensibus angustiis substitisse, in furorem instinctu indignationis exarsit.



Sed priusquam reliqua commemorentur, sítus loci eius relationi inserendus videtur. Acaunus sexaginta fere millibus a Genavensi urbe abest, quatuordecim vero millibus distat a capite Lemanni lacus, quem influit Rhodanus. Locus ípse iam inter Alpina iuga in valle sítus est. Ad quem pergentibus difficulti transitu asperum atque arctum iter panditur. Infestus namque Rhodanus saxosi montis radicibus vix pervium viantibus aggerem relinquit. Evictis transmissisque angustiarum faucibus subito nec exiguus inter montium rupes campus aperit. In hoc legio consederat.



Cognito Maximianus Thebaeorum responso, praecipi tira fervidus, ob neglecta imperia, decimum quemque ex eadem legione gladio feriri iubet, quo facilius caeteri regis praceptoris, territi metu cederent: redintegratisque mandatis edicit, ut reliqui in persecutionem christianorum cogantur. Ubi vero ad Thebaeos denuntiatio iterata pervenit, cognitumque ab eis est, iniungi sibi rursum executiones profanas, vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur, affirmantium, nunquam se ulli in haec tam sacrilegæ ministeria cessuros.



His deinde compertis Maximianus omni bellua
cruentior, rursus ad ingenii sui saevitiam redit,
atque imperat ut iterum decimus eorum morti
detur, caeteri nihilominus ad haec, quae spernerent,
compellerentur. Quibus iussis denuo in castra perlatis,
segregatus atque percussus est, qui decimus forte ob-
venerat. Reliqua vero se militum multitudo mutuo
sermone instigabat, ut in tam praeclaro opere persis-
terent. Incitamentum tamen maximum fidei in illo
tempore penes sanctum Mauricium primicerium tunc,
sicut traditur, legionis eius, qui cum Exuperio, ut in
exercitu appellant Campidoctore et Candido Senatore
militum accendebat, exhortando singulos et monendo,
fidem: commilitonum etiam martyrum exempla inge-
rens pro sacramento Christi, pro divinis legibus si
ita necessitas ferret omnibus moriendum suadebat:
sequendosque admonebat socios illos, et contubernales
suos, qui iam in Coelum praecesserant.



Cum haec talia Maximianus audisset obstina-
tosque in fide Christi cerneret animos virorum,
desperans gloriosam eorum constantiam posse
revocari una sententia interfici omnes decrevit, et rem
confici circumfusis militum agminibus iubet. Caedeban-
tur itaque passim gladiis non reclamantes saltem, aut
repugnantes; sed depositis armis cervices persecutoribus
praebentes, et iugulum percussoribus, vel intectum cor-
pus offerentes. Operae pretium est etiam illud indicare,
qui deinde Maximianum exitus consecutus sit. Cum
dispositis insidiis genero suo Constantino regnum
tenenti mortem moliretur; deprehenso dolo eius, apud
Massiliam captus, nec multo post strangulatus est.



Narrationem a Eucherio
Lugdunensi episcopo
verisimiliter conscriptam
adaptavit Estelle GITTA et
delinieavit Ambroise HERITIER.

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) *Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS («Romulus der Grosse») comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.*

Comoediae pars tertia

ZENO: Auxilium rogo, o sol universi –

ROMULUS: Non postulo, ut recites versus procul dubio numerosos, quos ut recitet Imperator asylum petens praescribitur lege Aulae Byzantinae.

ZENO: Nolo laedere animos camerariorum.

ROMULUS: Quos non sivi intrare.

ZENO: Omnino non?

ROMULUS: Omnino non.

ZENO: Bellissime. Si camerarii mei me non vident, hodie per exceptionem non recitabo formulam praescriptam. Lassatus enim sum. Ex quo Constantinopolin reliqueram, duo milia versuum, qui incipiunt a verbis „Auxilium rogo” circiter ter in die mihi recitandi fuerunt coram quibuslibet viris politicis. Vox mea est consumpta.

ROMULUS: Considas.

ZENO: Magnas gratias ago.

Zeno animo levato ad mensam considit. Pyramus cibos apponit.

PYRAMUS: Nihil iam habemus nisi ovum Domitiani.

ROMULUS: Quod ovum huic casui haud ineptumst.

ZENO: Scilicet nos ex septem annis bellum inter nos gerere. Nulla re nisi communi periculo Germanico prohibitum est, ne exercitus nostri veherentur inter se colliderentur.

Aliquatenus incertus est, quid dicat.

ROMULUS: Nosne bellum gerimus? Quod nesciveram.

ZENO: At Dalmatiam tibi abstuli.

ROMULUS: Eamne possederam?

ZENO: Quae tibi addicta erat divisione Imperii praeterita.

ROMULUS: Ut dicam inter nos Imperatores: iam pridem non intellego, quid fiat de Imperio regendo. Curnam tibi relinquenda fuit Constantiopolis?

ZENO: Verina socrus mea cum Germanis coniuncta me fugavit.

ROMULUS: Mirum. Cum Germanis steteras bellissime.

ZENO: Romule!

Zenonis animus Iaesus est.

ROMULUS: Cum iis te coniunxeras, ut filio tuo proprio imperium adimeres, quantum certior factus sum de rationibus throni Byzantini intricatissimis.

IULIA: Romule!

ZENO: Germani regna nostra inundant. Aggeres plus minusve sunt infracti. Non iam possumus incedere agminibus divisis. Desinamus unum de altero inaniter suspicari. Oportet nunc servemus nostrum cultum civilem.

ROMULUS: Quatenus? Num cultus civilis est res, quae potest servari?

IULIA: Romule!

Interim mercator artificiorum Imperatori appropinquavit cum nonnullis imaginibus fictis.

APOLLYON: Pro ambobus Gracchis et Pompeio et Scipione et Catone tibi praebeo duos nummos aureos et octo sestertios.

ROMULUS: Tres nummos aureos.

APOLLYON: Bene, si licet assumere Marium et Sullam.

Denuo scalam ascendit.

IULIA: Romule, postulo, ut actutum amittas istum propolam rerum antiquarum.

ROMULUS: Hoc licet nullo modo, Iulia. Nondum soluta est pecunia pro pabulo gallinarum.

ZENO: Stupeo. Hoc loco nondum satis cognitum esse videtur, Germanismus quam periculosus sit universo orbi terrarum.

Zeno digitis mensam compulsat.

IULIA: Hoc ego quoque dictabam.

ZENO: Germani non ea causa tantum profecerunt, quia nos superant armis et commeatu. Oportet hanc rem subtilius considerare. Urbes nostre se dedunt, milites nostri transfugiunt, populi nostri nobis non iam confidunt, quia nos ipsimet de nobis dubitamus. Oportet animos colligamus, Romule, recordemur veterem magnitudinem nostram, in me-

moriā revocemus Caesarem, Augustum, Traianum, Constantīnum, nisi fidem habuerimus auctoritatis nostrae mundanae, peribimus.

ROMULUS: Ergo, bene. Fidem habeamus.

Tacent. Sēdēt sītu cēdūlo.

ZENO: Tun' fidem habes?

Paululum incertus est.

ROMULUS: Firmissimam.

ZENO: Veteris magnitudinis nostrae?

ROMULUS: Veteris magnitudinis nostrae.

ZENO: Missionis nostrae historicae?

ROMULUS: Missionis nostrae historicae.

ZENO: Quid de te, Iulia Imperatrix?

IULIA: Ego semper fidem habui.

Zenonis animus levatus est.

ZENO: Animi vestri nonne mirabiliter efferuntur? Sentio prorsus affectum favorabilem animorum hic versantium. Heus, hoc fuit urgentissimum!

Omnes tres sedent fidem habentes.

ROMULUS: Quid nunc?

ZENO: Quid dicis hoc?

ROMULUS: Nunc fidem habemus.

ZENO: Hoc est caput rei.

ROMULUS: Quid nunc faciendumst?

ZENO: Hoc non multum valet.

ROMULUS: Est aliquid faciendum, si sumus hac inclinatione animorum.

ZENO: Quod fit sua sponte. Invenienda est idea tantum, quam opponere possumus Germanorum tritis verbis commendativis, quae sunt: «Libertati et condicōni servili». Propono, ut nos commendemus: «Servituti et Deo!»

ROMULUS: Nescio. Mihi magis placet commendatio practica, quae ad effectum potest adduci, velut: «Gallinis alendis et agris colendis.»

IULIA: Romule!

Mavors a sinistris p̄aeceps incurrit. Sui non compos est.

MAVORS: Germani iter faciunt Romam!

Zeno et Iulia territi prosiliunt.

ZENO: Quando proxima navis proficisetur in Aethiopiam?

ROMULUS: Ibinam quid vis?

ZENO: Asylum petam ab Imperatore Aethiopiae. Ex Aethiopia enim pertinaciter pergam contra Germanismum pugnare.

Imperatrix paulatim animum colligit.

IULIA: Romule, Germani cum iter faciant Romam, tu pergis ientare.

Maiestas surgit sollemniter.

ROMULUS: Quod est privilegium virorum politicorum. Mavors, auctoritatem tuam augebo munere mariscalci imperialis.

MAVORS: Servabo Romam, o Imperator!

In genu procumbit gladiumque vibrat.

ROMULUS: Sane id mihi restat mali.

Iterum considit.

MAVORS: Nil iuvabit nos nisi belli paratio universa!

Surgit animo prompto.

ROMULUS: Nequaquam. Bellum enim scelus est, ex illo iam tempore, quo fustis inventus est. Nunc autem si bellum paramus ratione universali, idem prorsus fit ineptum. Dabo tibi quinquaginta praetorianos satellites meos, mariscalce imperialis.

MAVORS: Maiestas! Odoacer exercitum habet centum milium Germanorum bene armatorum!

ROMULUS: Quo maior est dux militaris, eo paucioribus eget copiis.

Mavors salutat militanter et exit sinistrorum. Interim Apollyon media excepta sustulit omnes imagines fictas.

APOLLYON: Pro omni ista congerie tibi dabo decem nummos aureos.

ROMULUS: De Romae viris maximis reverentius loquere, Apollyon, te amabo.

APOLLYON: Verbo 'congerie' has imagines relictas tantum appello neque ullo modo iudico de Romanorum rebus gestis. Unam imaginem fictam relinquam. Qua exhibetur rex Romulus.

Numerat decem nummos aureos.

ROMULUS: At hic rex mei nominis condidit Romam!

APOLLYON: At haec imago fabricata est a tirone, Maiestas.

Interim Imperator Romae orientalis factus est impatiens.

ZENO: Me nondum introduxisti apud hunc Dominum, Romule.

ROMULUS: Hic est Imperator Romae orientalis, Zeno Isaurus, Apollyon.

APOLLYON: Maiestas.

Caput inclinat animo frigido.

ZENO: Visas, queso, insulam Patmon, quae mihi fidem servavit, care Apollyon. In eadem possideo multa artifia Graeca mirabilia.

APOLLYON: Hoc fieri poterit, Maiestas.

ZENO: Cum cras iter faciam Alexandriam, liceat mihi rogare, ut paululum pecuniae in antecessum...

APOLLYON: Doleo. Iudicio enim meo ac voluntate nullum do promutuum domibus imperialibus. Tempora sunt turbulentia, instituta politica sunt instablia, emptores ab artificiis antiquis aversi ad Germanica se adverunt, plurimum venduntur artifia primitiorum. Horibile dictu, sed de gustibus non est disputandum. Permittant nunc Maiestates Vestrae, ut vobis valedicam.

ROMULUS: Doleo, Apollyon, quod incidisti medium in Imperium meum universe collabens.

APOLLYON: Ah desinat Maiestas Tua. Fac me hac re vitam sustentare.
Iterum dorsum declinat et abit sinistrorum. Imperator Romae orientalis caput concutit cogitatibus.

ZENO: Nescio, Romule, ex annis non iam accepi pecuniam creditam. Paulatim intellego professionem nostram omnino non lucrativam esse.

A sinistris venit Tullius Rotundus administer rerum domesticarum.

TULLIUS ROTUNDUS: Maiestas!

ROMULUS: Tandemne dormit athleta, Tulli Rotunde?

TULLIUS ROTUNDUS: Non agitur de Spurio Tito Mamma, sed de Caesare Runcina.

ROMULUS: Hunc ignoro.

TULLIUS ROTUNDUS: Qui est persona gravis. Maiestati Tuue scripsit epistulam.

ROMULUS: Ex quo Imperator sum, non iam lego epistulas. Idem quod officium gerit?

TULLIUS ROTUNDUS: Fabricator bracarum. Confector illorum Germanicorum vestimentorum, quae pedibus obducuntur et nunc in nostrum quoque usum veniunt.

ROMULUS: Estne ille dives, administer rerum domesticarum?

TULLIUS ROTUNDUS: Qui est immense dives.

ROMULUS: En tandem virum aptum.

IULIA: Quem statim recipias, Romule.

ZENO: Subolet mihi nos ab eo servatum iri.

ROMULUS: Rogo, ut introducatur fabricator bracarum.

A dextris venit Caesar Runcina, vir ingenti statura crassa, veste pretiosa indutus. Qui cum Zenonem putet esse Imperatorem, eum directe adit; Zeno consilii inops Caesari monstrat Romulum. Caesar manu tenet latum petasum formae antiquae. Breviter caput inclinat.

CAESAR RUNCINA: Imperator Romule.

ROMULUS: Salvus sis. Haec est uxor mea, Imperatrix Iulia, et ille est Zeno Isaurus, Imperator Romae orientalis.

Caesar Runcina paulum nutat.

ROMULUS: Quid optas ut faciam, Caesar Runcina?

CAESAR RUNCINA: Gens mea oriunda quidem est e Germania, sed iam ex aetate Imperatoris Augusti Romam incolit necnon e primo saeculo plurimum fabricat venditque res textiles.

ROMULUS: Hoc me delectat.

Caesar Runcina petasum dat Zenoni, qui eundem tenet stupefactus.

CAESAR RUNCINA: Ut sum fabricator bracarum, Maiestas, in negotiis sum fortis promptusque.

ROMULUS: Scilicet.

CAESAR RUNCINA: Lento pectore accepi Romanos priscis moribus deditos bracas respuere, ut semper fit, si imminet res nova mentes hominum illuminatura. ROMULUS: Ubi bracae gestari incipiunt, desinit coli cultus civilis.

CAESAR RUNCINA: Scilicet tibi Imperatori liceat tales facetias dicere, sed ego, qui vir sim rebus veris nec nebulosis deditus, mente sobria mihi dico bracas mox fore vestes praecipuas. Morte certius est civitatem modernam, si non sit non bracata, interitaram esse. Quod res Germanorum bracas gestantium tam mirabiliter succedit, positum est in conexu causalii, qui viris politicis numquam subtiliter cogitantibus prorsus obscurus est, sed sole clarior negotiatori, qualis ego sum. Roma non nisi bracata par erit catervis Germanorum incurvantibus.

ROMULUS: Evidem si crederem bracas esse tam efficaces, ipse quoque in tale vestimentum illaberer.

CAESAR RUNCINA: Iuravi clare certeque me bracas non gessurum esse antequam homuncio vel stultissimus cognosset genus humanum esse interitulum nisi bracatum. Quod iuravi honoris causa, Maiestas, haud nugor, si agitur de officio. Aut braceae in usum introducentur aut Caesar Runcina negotio se abdicabit.

ROMULUS: Quae habes proponenda?

CAESAR RUNCINA: Maiestas, hic cum sit Caesaris Runcinæ negotiatio universalis, ibi est Imperium Romanum, necesse est ut hoc concedas.

ROMULUS: Scilicet.

CAESAR RUNCINA: Ne fumum vendamus, ne indulgeamus animo flebili. Post me sunt nonnullæ *miliardæ sestertiorum, post te nihil nisi vorago.

ROMULUS: Haec differentia non melius potest describi.

CAESAR RUNCINA: Primum cogitaram consentaneum esse, ut prorsus emerem Imperium Romanum.

Imperator non potest, quin laetitiam suam aliquatenus ostendat.

ROMULUS: Oportet de hac re serio colloquamur, Caesar Runcina. Quacumque ratione, te faciam equitem. Cedo gladium, Achilles!

CAESAR RUNCINA: Gratias ago, Maiestas, sed iam emi omnia insignia honorifica, quae exstant. Vide, ut loquar lento pectore, interim desii cogitare de Imperio emendo. Imperium enim Romanum tam obaeratum est, ut ipsi negotiationi universalis magni constat idem renovare, nec certo scio, num operae pretium sit hoc facere. Si faceremus, haberemus civitatem giganteam, qualis item displicet. Aut habemus negotiationem universalem aut Imperium; cum eligendum sit, expressis verbis dicam me malle habere negotiationem universalem, quia hoc sit lucrosius. Recuso, ne emam Imperium, sed non recuso, ne tecum coniungam.

ROMULUS: Quomodo sentis fieri posse, ut inter se coniungantur Imperium et negotiatio tua?

CAESAR RUNCINA: Ratione mere organica, cum generaliter, ut sum mercator, semper praferam rationes organicas. «Cogita organice, alioquin decoques.» Sic sentio. Primo Germanos foras mittemus.

ROMULUS: Hoc ipsum sat difficile videtur.

CAESAR RUNCINA: Negotiator universalis, si quidem habet sat multam rem, omnino ignorat verbum difficultatis. Odoacer a me interrogatus scripto declaravit se pretio decem milionum paratum esse ad Italiam relinquendam.

ROMULUS: Odoacer?

CAESAR RUNCINA: Dux Germanorum.

ROMULUS: Num ille quoque est venalis?

CAESAR RUNCINA: Hodie omnes sunt venales, Maiestas.

ROMULUS: Quidnam postulas ut ego faciam pro hoc auxilio, Caesar Runcina?

CAESAR RUNCINA: Si decem miliones solvero nonnullosque *miliunculos adhibeo, ut Imperium sustentetur, ne demergatur, ut fieri solet de omni civitate valida, postulo — praeter id, quod generaliter praescribatur, ut braceae gerantur — ut des mihi Ream filiam tuam in matrimonium ducendam. Nam sole clarus est nos sola hac ratione organica confirmare posse coniunctionem nostram.

ROMULUS: Filia mea sponsa est viri patricii ad paupertatem redacti, qui ex tribus annis tabescit captivus Germanorum.

CAESAR RUNCINA: Vides, Maiestas, mihi esse pectus lentissimum. Ne cesses confiteri Imperium Romanum servari non posse nisi firme coniungatur cum negotiatione perita. Alioquin Germani iam Romae insidiantes accendent strepentibus gradibus giganteis. Respondebis mihi hodie post meridiem. Si recusaveris, in matrimonium ducam filiam Odoaceri. Negotiatio Runcinaria oportet curet, ut nascatur heres. Evidem sum vir aetatis florentissimae; tempestatibus vitae negotiosae, quarum in comparatione proelia vestra nihil sunt nisi quisquiliae, usque nunc impeditum est, ne peterem alicuius uxoris carae amplexum felicissimum. Haud facile est unam ex his duabus facultatibus eligere. Ratione politica licet sit opportunius indubitabiliter Germanam eligere, tamen, ut gratus sum terrae hospitali, volui hoc tibi proponere, nam nolo fieri, ut historici aliquando suspicentur negotiationem Runcinariam temporibus serviisse. *Caesar Runcina breviter caput inclinat, petasum e Zenonis manu eripit, exit sinistrorum. Ceteri tres stupefacti remanent ad mensam sedentes et tacent.*

IULIA: Romule, fac statim loquaris cum Rea.

ROMULUS: Quid loquar cum Rea, cara uxor?

IULIA: Ea statim nubet huic Caesari Runcinæ!

ROMULUS: Imperium quidem Romanum illi statim vendam paucis sestertiis, sed nequaquam cauponabor filiam meam.

IULIA: Rea voluntarie se offeret Imperii causa.

ROMULUS: Nos per saecula rei publicae tantum obtulimus, ut nunc oporteat rem publicam se offerre nostri causa.

IULIA: Romule!

ZENO: Nisi filia tua nunc nupserit, peribit mundus.

ROMULUS: Nos peribimus. Quod est prorsus aliud.

ZENO: Nos sumus mundus.

ROMULUS: Nos sumus cives municipales mundi, qui superior factus est, quam ut a nobis comprehendatur.

ZENO: Talis vir qualis tu es oportet ne sit Imperator!

Pugno mensam compulsat et dextrorum exit. A sinistris veniunt quinque famuli obesi.

FAMULUS PRIMUS: Venimus, ut nobiscum auferremus imagines fictas.

ROMULUS: Fiat, quaeso, — quae adstant parietibus.

Oculus completus est famulis imagines egerentes.

IULIA: Romule. Appellor Iulia mater patriae, quo nomine honesto glorior. Nunc autem te alloquor ut mater patriae. Tu per totum diem sedes ad ientandum, tua interest nullius rei nisi gallinarum tuarum, tu non recipis nuntium citatissimum, tu recusas, ne bellum paretur, tu signa non fers in hostem, tu non vis dare filiam illi, qui solus nos servare potest. Quidnam vis?

ROMULUS: Nolo perturbare historiam mundi, cara Iulia.

IULIA: Eheu pudet me uxorem esse tuam!

Quae celeriter exit.

ROMULUS: Effer escaria, Pyrame. Finivi comedionem meam matutinam.

Mappa os deterget. Pyramus aufert mensam.

ROMULUS: Affer aquam, Achilles.

Achilles affer aquam. Romulus manus lavat. Per ianuam praeceps incurrit Spurius Titus Mamma.

SPURIUS TITUS MAMMA: Mi Imperator!

Coram Romulo in genua procubuit.

ROMULUS: Quis es?

SPURIUS TITUS MAMMA: Sum praefectus Spurius Titus Mamma.

ROMULUS: Quidnam vis?

SPURIUS TITUS MAMMA: Per duos dies duasque noctes Ticino huc equi-

tavi. Septem equi sub me conciderunt mortui, tribus sagittis vulneratus sum, sed cum advenisset, non admissus sum ad te. Hic, mi Imperator, est nuntius Orestis ultimi ducis tui militaris, antequam cecidit in manus hostium!

Cylindrum pergamenae sustulit ad Romulum. Imperator autem manet immotus.

ROMULUS: Es vulneratus, defessus. Quare vires tuas tam immoderate exhausisti, Spuri Tite Mamma?

SPURIUS TITUS MAMMA: ut viveret Roma!

ROMULUS: Roma iam pridem mortua est. Tu te offers mortuae, tu pugnas umbrae, tu vivis sepulchro dilapso. I cubitum, praefecte, aetate hodierna non iam esse potes heros, prae te fers herois speciem!

Cum gravitate maiestatis surgit, exit per ianuam in recessu medio sitam. Spurius Titus Mamma surgit prorsus perturbatus, tum subito nuntium Orestis humum deicit, eundem calcat et exclamat.

SPURIUS TITUS MAMMA: Roma habet Imperatorem infamem!

ACTUS SECUNDUS

ANNI QUADRINGENTESIMI SEPTUAGESIMI SEXTI MENSIS MARTII diei funesti tempus postmeridianum. Viridiarium ante villam Imperatoris situm. Ubique muscus, hedera, malae herbae, ubique gallinae gracillant, galli cucurriunt. Interdum gallinae scaenam supervolant, praesertim, si quis venit. In recessu videtur frons villaे fere dilapsae bestiis volatilibus vehementer afflita; cui inest ianua, de qua scala ducit in viridiarium. Tibi videris versari in cohorte gallinarum, quamvis in proscenii dextra parte stant nonnullae sellae hortuales lautiusculae diebus melioribus ibi positaе. Interdum scaenae offunditur fumus subobscurus, qui evadit ex aedificio humili. Grapheum, fortasse a sinistris statuendum, angulo recto ad villam situm. Affectus animorum generalis: homines aestuant atque desperant, affecti sunt vi mundi intereuntis magica, cogitant: μετα ημας ο κατακλυσμος.

Personae: In una sella Tullius Rotundus administer rerum domesticarum, in alia Mavors, administer belli gerendi, nunc mariscalcus imperialis, ut

scimus, omnibus armis ornatus, dormiens, tabula Italiae geographica genibus eius superposita, cassis, iuxta eam baculus mariscalci humi posita. Scutum parieti domus appositum est. Spurius Titus Mamma, adhuc sordidus, ligamento instructus, aegre praeter parietem graphei, ad parietem se applicat, pergit corpus suum protrahere.

SPURIUS TITUS MAMMA: Sum fatigatus. Sum fatigatus. Sum fatigatissimus.

Ex ianua villae venit coquus albo encombomate pileoque alto indutus. Cultrum post dorsum tenens, gallinas sonis alliciens, abit dextrorum, in viridiarium. Gallinae desperate gracillant.

COQUUS: Iuli Nepos, Orestes, Romule, attattatae...

A sinistris apparer Zeno Isaurus, consistit et sandalium deterget humo africans.

ZENO: Vae iterum calcavi ovum! Nihilne istic est nisi gallinae?

TULLIUS ROTUNDUS: Imperator nihil cupit nisi alere gallinas.

A dextris nuntius citatissimus incurrit palatum.

NUNTIUS CITATISSIMUS: Germani sunt Romae! Germani sunt Romae!

TULLIUS ROTUNDUS: En novum nuntium tristissimum. Sic agitur per totum diem.

ZENO: Utinam Imperator saltim *nunc* in sacello aulico oret pro populis suis.

TULLIUS ROTUNDUS: Imperator dormitat.

ZENO: Dormitat? Egon sum unicus, qui oret?

TULLIUS ROTUNDUS: Timeo, ne ita sit, Maiestas.

ZENO: Cum ego aestuem in cultu civili servando — heus quid olet hic fumum?

TULLIUS ROTUNDUS: Comburimus archiva.

Zeno est attonitus.

ZENO: Vos - comburitis - archiva?

Comoediae pars quarta in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius

inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: -----

Unterschrift: -----

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

5 + 6/2001

IDIBVS DECEMBRIBVS

MMI



TOMVS 24



FASC. 141